



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXI. Imagines per se & propriè colendas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

CAPVT XXI.

Imagines per se, & propriè colendas.

NUNC iuxta positas distinctiones aliquot sententiarum rem totam explicabimus. Sit igitur hæc PRIMA sententia, siue propositio. *Imagines Christi & Sanctorum venerandæ sunt non solum per accidens, vel impropiè, sed etiam per se & propriè, nam ipse terminent venerationem vt in se considerantur, non solum vt vicem gerunt exemplaris.* Probatur PRIMA quia Concilium VII. act. 7. definit imagines Christi esse venerandas, sed non latria; vult igitur esse venerandas per se, & propriè aliquo cultu. nam si Concilium solum vellet imagines adorari per accidens, vel impropiè, ita vt terminus proprius adorationis non esset imago, sed Christus ipse, non diceret, non debere adorari latria; Christus enim latria adoratur, cum sit Deus.

Neq; obstat, quod quidam dicunt, imaginem Christi non repræsentare Christum vt Deum, sed Christum vt hominem, & proinde in imagine Christi non posse adorari Christum vt Deum, sed Christum vt hominem: Nam imago Christi ipsius Christum, id est, hypostasim diuinam humana carne vestitam repræsentat: sicut imago cuiuslibet hominis non solum figuram, & colorem, sed etiam personam, & totum ipsum hominem repræsentat. Alioqui Apostoli videntes Christum in carne, non debuissent adorare latria; nec Thomas dicere debuisset: *Dominus meus, & Deus meus.* Nam non videbant Christum vt Deum, sed vt hominem.

SECUNDO probatur; nam si imago non est veneranda per se, & propriè, quia nimirum coram illa, vel in illa, aut per illam adoratur exemplar, certè licebit simpliciter negare, imagines esse venerandas. Quod enim non dicitur nisi impropiè, simpliciter negari potest, vt patet: at Concilium VII. act. 7. contra hæc thema dicit iis, qui negant imagines esse venerandas.

TERTIO, Concilium idem ibidem, definit imagines esse venerandas eo modo, quo veneramur Euangelia & sacra verba. At qui ista honorantur per se & propriè, vt omnes fatentur

nec enim personam alicuius alterius gerunt: igitur & imagines per se, & propriè venerandæ sunt.

QUARTO, in ipsa imagine verè inest aliquid sacrum, nimirum similitudo ad rem sacram, & ipsa dedicatio, siue consecratio diuino cultui; ergo ipsæ in se, & non solùm vt prototypi vicem gerunt, honore dignæ sunt.

Neque obiectiones suprâ adductæ conuincunt. Ad PRIMAM dico, imagines siue honorentur propriè, siue per se, siue per accidens, semper honorari propter exemplar, & semper honorem earum transire ad exemplar, sed alio atque alio modo; nam quando imago adoratur impropiè, quia videlicet honor in ipsam non terminatur, sed per ipsam in exemplar, tunc immediatè, & formaliter honor imaginis transit ad exemplar. At quando imago honoratur per se, & propriè, ita vt in ipsam verè terminetur honor, tunc honor eius transit ad exemplar nõ immediatè, sed mediatè, & quasi consequenter. Nam qui honorat imaginem alicuius, sine dubio honorat propter eum, cuius est imago, & proinde honor imagini verè exhibitus redundat in prototypum. Quemadmodum qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur, non quod eleemosyna immediatè nõ tendat in pauperè, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christum facit, & Christum honorat in paupere.

Ad SECUNDAM dico, illis versiculis solùm doceri, non deberi imagini eundem honorem, qui debetur exemplari, vt patet ex ratione, quæ in ipsis versiculis redditur. Quia videlicet imago non est Deus, sed imago Dei. Inde enim sequitur, non deberi imagini honorem, qui debetur Deo, sed minorem. Nos autem hîc non asserimus, eundem honorem, sed aliquem honorem deberi imagini. Et fortasse auctores primæ opinionis hoc solùm dicere voluerunt, nimirum honorem proprium exemplaris non posse exhiberi imagini, nisi impropiè: de honore autem inferiore nihil dixerunt. Quod si ita est, ab eis non dissentimus.



QQQppp

CAPVT